

§. V. Præterea nec illud referre scribit, rem soli quis possideat ex asse, aut pro parte. *d. §. 1. b. t.* Cum vero partis appellatione tam divisa, quam indivisa & communis res veniat. *l. 25. §. 1. de V. S.* hic quoque nihil interesse videtur, sive quis partem pro diviso, sive pro indiviso possideat. *arg. l. 8. de Publ. in rem act.* Dubium quidem movere videtur. *l. 3. §. 2. de A. & A. P.* an nimirum quis partem rei communis possidere possit; cum in *d. §. 2.* negetur, partem incertam possideri posse. Incerta autem pars etiam esse videatur, quam quis habet pro indiviso; quia nullam rei partem demonstrare possit, quæ ita sit sua, ut non sit etiam alterius. Verum quod quis etiam rem communem pro indiviso possidere, & illius dominus recte dicatur, probat *l. 26. ff. de A. & A. poss. l. 74. d. Leg. 3.* Neque in *d. l. 3. §. 2.* per partem incertam intelligitur pars pro indiviso; sed de tali Jctus ibidem loquitur parte, de qua non constat, quid, quale, quantumque sit, uti patet ex *d. l. 26. l. 74. pr. ff. de V. O.*

§. VI. His præmissis, progreditur Jctus ad ipsam personarum enumerationem, quæ quoad hunc effectum pro immobilium possessoribus habeantur. Et quidem primo producit EMPHYTEUTICARIVM, dicens: *Sed & qui vectigalem, id est, emphyteuticum agrum possidet, possessor intelligitur. h. l. §. 1.* Hic enim in re emphyteutica, quam ad minimum naturaliter possidet, Jus habet cum universa utilitate; quod ad dominium proxime accedit, & à Dd. utile dominium vocatur; *Frantz. tr. de Laudem. cap. 14. n. 10. & seqq.* atque ex natura sua perpetuum ac in heredes transitorium est. *§. 2. I. de locat. & conduct. l. 1. in pr. si ager vectig.* Adeo ut verisimile non sit illum neglecto hoc jure fugituum. Proinde ipse etiam

iam